PAMFLET
1285.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1285

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1285

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1285

Pflt. 6
1285

DANIELIS HEINSII

LAVDATIO

Nobiliſſimi Ampliſſimi Clariſſimique Viri

IANI DOVSÆ,

Nordovici & Cattendici Toparchæ,
Supremi Senatus Aſſeſſoris, Academiæ
Lugduno-Bat. Curatoris, &c.

Accedunt ejuſdem Manes Douſici, Elegia item Funebris Joſephi Scaligeri, & aliorum quædam.



LVGDVNI BATAVORVM,
Ex Officinâ Ioannis Patii, Academiæ Typographi,
An. CIↃ. IↃ. C. V.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1285

KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1285

Magnificis Ampliſsimis Nobiliſſimiſque Viris,

PRÆSIDI,

RELIQVISQVE SVPREMI SENATVS ASSESSORIBVS.

NOBILISSIMI AMPLISSIMIQVE VIRI, *nunquam arbitrabar, ut quod Iano Douſæ perſolverem, alienæ potius autoritati quam pietati meæ darem. Cum enim pro roſtris Academiæ laudandum eſſet funus publicum; viſum eſt Ampliſsimis Senatoribus nos quoque in partes vocare. Fruſtra tamen. Videbam enim vel invidiam ætatis meæ, vel ſcientiæ. Quæ cum aliquid pro ſe poſſent, neceſsitate dicendi exſolutus, ſcribendi immunitatem nondum impetravi. Quam equidem debere cuiquam nolebam, cum merita illius viri privata paululum à publicis deducerem, Douſámque ea parte cogitarem, qua meus fuit. qui neminem aut arctius amplexus eſt, aut benignius habuit. Cujus rei quamvis ne nunc quidem cauſſam inveniam, fructum tamen jampridem agnoſco. Quis autem hæc ſcrutetur, quis eruat, quæ à naturæ benignitate ſunt? Sicut herbæ nonnullæ ſine ſemine proveniunt: ita amor interdum judicium non ſequitur, ſed præcedit. Quæ-*

dam igitur de ingenio ejus & ſcientia, plura de moribus diximus & innocentia: quæ ſola pars calumniæ patet. Eruditionem viri aut dignitatem nemo movet. nec aliud in Douſa reprehenditur, quam quod culpa caret. Multa quæ de ſplendore generis addi poterant, ab aliis occupata, prætermiſimus. Et ita homo fuit ut hæc aliena putaret, virtutemque ſine dote in manum convenire vellet. Vobis, Magnifici Patres, hæc nuncupare viſum eſt, qui ejuſdem dignitatis vel ſocii fuiſtis, vel hæredes eſtis: quorum Ampliſſimus ordo tres ſummos Curatores Academiæ dedit. idque potiſſimum, ut quos Douſa integritatis ſuæ admiratores habuit, eoſdem nunc patronos habeat. Vt autem vitis non aſſurgit niſi per ulmum ſerpat: ita præcipuæ virtutes hodie ſine robuſto præſidio ſe non tuentur. Quod ab autoritate veſtra ſperamus, qui non aliam viam ingreſſi eſtis, ſed diverſam. In quibus civilem illam prudentiam mitiore literarum cultu temperatam cum intuemur, lubenter fortiora ſolatia admittimus, & in maximo luctu cogitamus, Magiſtratus noſtros mortales eſſe, adminiſtrationem æternam. Valete.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1285

DANIELIS HEINSII

LAVDATIO FVNEBRIS

Nobiliſsimi Ampliſsimi & Clariſsimi Viri

IANI DOVSÆ,

Nordovici & Cattendici Toparchæ.

PRudentiſſime, Magnifice Rector, Ampliſſimi Clariſſimi Præſtantiſſimiq; Viri, hoc à vobis inſtitutum eſt, ne quis diebus his in publico loquatur: Academia tota muta atque elinguis ſit. Ipſe denique locus hic auguſtiſſimus, hæ cathedræ, hæc pulpita, quæ voce noſtra perſonare ſolent, funeſto ſilentio luctum ſuum teſtentur. nec melius parentem ſuum deplorent, quam ſi nemo audiatur. Vtinam vero quod reliquis imperatum eſt, id nobis ſaltem conceſſum eſſet, qui & omnium caſum lugemus, & cum iis noſtrum: ut ſi cum aliis excuſari non poſſimus, affectus certe nomine

veniam mereamur. Filium in parentis funere loqui, nemo juſſit unquam. Aliquid ſtupori conceditur, aliquid mœrori primo datur. Solius doloris prærogativa eſt ſilentium. Nam dum per ſingultus verborum ordo perit, dum aliquid ſibi temporis indulgent lachrymæ, dum animus paulatim cum oratione in gratiam redit, ſerum eſt propemodum quod à voce impetratur. Nec facilius luctus loquitur, quam cum magna ſui parte exhauſtus eſt. A vobis vero, Magnifice Rector, Ampliſſimi Nobiliſſimi Clariſſimiq; Viri, potiſſimum ego ad dicendum vocatus ſum, quia potiſſimum lugeo. Vt eodem tempore nec male de facundia noſtra, nec bene de dolore judicare videamini. Qui ſi nondum remiſit, nec à tempore ſolatium habet; metuo ne ibi deſit nobis, ubi prodeſſe poterat, & cum dedecore noſtro pietatem fateatur ſuam. Verum enimvero cum omnium dolere ſit, dicere unius: danda eſt opera, ut illud quod nobis cum omnibus commune eſt, leniter feramus: quod vero peculiariter incumbit, ea qua par eſt animi conſtantia agamus. Nam ut in Republica ſi principem mori contingat, multi lugent; pauci

hæreditatem ſibi vindicant: ita magnorum virorum virtutes poſt obitum orator commemorat; reliquis dolorem relinquit. Quod ſi quenquam mortalium, multo magis nos decet, ne eam terram in qua natus eſt homo ſanctiſſimus inauſpicato luctu fœdemus: in qua tot fortiſſimi viri ſuperſunt, qui facilius ſanguinem quam lachrymas effundunt. A cujus potiſſimum laudibus, ut Aſpaſia illa Socratica, inchoandum nobis putamus. Cum enim nobiliſſimorum virorum majores ſint plurimi: omnium vero una, quæ & naſcentes excepit, & morientes condidit; non poteſt de omnibus dici, niſi de una tantum dicamus: cum & plurimi unius fuerint, & una plurimorum. Sicut itaque heroum ſuorum initium à Iove deducunt poëtæ, ita nos à te regina inſularum Batavia: cujus terra non tam orbis totius pars eſt, quam imago. Nam ut hoc omne quod colitur, Oceano circumfunditur; ita cives tui mari cinguntur, mari ambiuntur undique. Vt tam à natura libertati deſtinati eſſe videantur, quam ab animo. Ager neque ſterilis, neque ingratus eſt. qui cum frugum fertilitate vicinis quibuſdam, fructuum vero fe-

licitate

licitate cedat plurimis; his ipſis plus abundat omnibus. nec difficulter à mari impetrat, quod à terra negatur. Vina nuſquam educant, & ubique bibunt; linum non colunt, & geſtant; ferrum non fodiunt, & cudunt. Gentem ſi ſpectes, ſola ea eſt quam nemo in bello numerat, ſed æſtimat. Cujus unius virtutem Romani loquuntur: qui cum ſubſidiũ ab his, ſucceſſus, victorias, triumphos mutuati eſſent, laudem iis ſolam reliquerũt. Eant certe ad Lunam Arcades, à Cecrope originem ſuam deducant Attici, & in eadem terra ſe natos glorientur in qua vixerunt. Batavos quoque à Gigantibus fabuloſa deduxit antiquitas, & ſuperiorum ætatum tabulæ: nec creduntur tamen. Non enim referre putant viri fortiſſimi, quantus ſit qui vincit: neque corporis magnitudinem ſibi vindicant, ſed animi. Vix nati nubibus aſſueſcunt, ventos provocant, imbres ferunt, cum aëre nudo & Iove contrahunt: quicquid denique mortem inferre poteſt, aut laceſſunt aut negligunt. Mare non accolunt ſed incolunt: & jam olim aut navigabant optime, aut natabant. nec referre putat Tacitus brachiis utantur an remis. Ergo Britanni olim quorum in

mari claſſem expectabant, eorum corpora viderunt: & cum adverſus naves inſtructi eſſent, cum hominibus pugnarunt. Stantes pro mœnibus aliquis interficit, nemo vincit: nec urbes ſuas cuiquam relinquunt, ſed ſepulchra. Vitam nemo poſt libertatem amat. Nihil deſiderant quo abundat hoſtis: easque opes arbitrantur, non quas precio, ſed quas virtute emerunt. Bello nec irritant quenquam, nec metuunt. Cumque aliæ gentes vel difficilius vivant, vel melius, nulla hac lubentius moritur. Hoc cœlum cum hauſiſſet Douſa, hunc aërem, à libertate non potuit alienus eſſe, qui in ea natus erat. Cumq; videret nuſquam eſſe majorem virtutis ſegetem, quam in hac terra; doluit neglectum potius literarum quam contemptum. In prima itaq; incude diſciplinarum poſitus, cum facillime vota præverteret, relicta matre ſtudiorum Batavia, Galliam petivit. Nam ut plantæ interdum ſi transferantur, felicius ſurgunt: ita ingenia divina cum fructu plerunque patriam relinquunt. Cumque eadem virtutis ſit ratio quæ flammæ ſurgentis, ut diu latere non poſſit; facilius ſibi amicos invenit quam doctores: quibus præiret quam quos ſequeretur.

Nec eruditionem tantum conſecutus eſt, ſed & famam. Vigebat ea tempeſtate Gallia præſtantiſſimis viris, quorum hodie nomina in albo æternitatis ſunt. Nemo enim Turnebos ignorat, nemo Auratos, nemo Paſſeratios aut Lambinos. Neq; adhuc in hanc inſulam Muſarum coloniam tranſtulerat Douſa: ut domi haberet, quod foris ſequebatur. Nemo ingenii & eruditionis principem Scaligerum quam in Gallia ſalutabat. Nemo humanitatis totius politiſſimū vindicem Iuſtum Lipſium quam Grudiis, petebat. Verum enimvero ſicut Lycurgus leges ſuas prius didicit, quam tulit; Solon cum omnibus vixit, ut Athenis prodeſſet: ita Douſa tum temporis ea ſibi comparavit, quibus hæc Academia hodie ad culmen exiſtimationis pervenit. Ea autem ætate cum nihil eſſet facilius quam naturam ſequi, quamvis & antiquitatem totam & hiſtoriam diligenter coluiſſet; lubentius tamen eo modo loquebatur, quo & Homerus, & Orpheus, & Dodona, & Apollo, & oracula olim locuta ſunt. Meminerat enim divinæ indolis adoleſcens, hanc non naturę tantum vocem eſſe, ſed & ſapientiæ. Quæ hoc cultu & placuit primum & admiſ-

admiſſa eſt. Vt cæteri non docerent melius, ſed minus facunde ſcriberent. Hanc laudem ne patriæ ſuæ invideret diutius, mature ſibi redeundum putavit: Neque alii ſcientiam ſuam referre voluit, quam cui lucem debebat. Quoniam autem ſolo fere ocio ea ſtudia aluntur, quæ nec lucrum affectant, & honores contemnunt: et lubenter ab hominibus ſecedunt, qui nec mores eorum probant, & diverſam viam ſequuntur: ſapiētiſſimus vir in templum bonæ mentis ſe abdidit. Quod neque in urbibus erigitur, quæ ambitione flagrant: nec in foro, quod ſordibus reorum & lachrymis profanatur. Sed in locis puris & innocentibus, in ſecretis naturæ: ubi facilius ipſam ſapientiam invenias, quam hominem. In his penetralibus ab Egeria olim Numa, Lycurgus ab Apolline, Minos à Iove, Meleſagoras à Nymphis, Pindarus à Pane, Heſiodus à Muſis, ſapientiam hauſerunt. Quam quia procul ab hominibus aſſecuti erant, Diis immortalibus aſſcribebant. Quia autem neminem ſortis ſuæ poenitere poteſt, quam qui votis peccare didicit: quæ felicitate ſua creſcunt, nec finem inveniunt niſi interdū ſucceſſu carent; prius ex his locis ereptus

eſt Douſa quam abiit, vocatus eſt quam deceſſit. Cum enim nobiliſſimus eſſet, latere nō potuit: cum patriæ addictiſſimus, non debebat. Exardebant quotidie bella civilia, gliſcebat Hiſpanorum furor, qui nondum didicerant, huic genti libertatem non prius extorqueri quam vitam: impetrari autem armis ab iis nihil poſſe, quibus difficilius eſt ſervire quam mori. A ſecuritate igitur ſua, à tranquillitate illa, ex agris, eodem tempore & urbem & obſidionem ingreſſus eſt. & qui ne civilem quidem magiſtratum admiſerat, militibus imperavit. Inſtabat ex altera hoſtis ſuperbiſſimus, qui hæc tecta, has aras, hos focos, quos æternitati Muſarum Dii ſervabant, flammis atq; incendio deſtinabat. Ex altera rerum penuria ipſo hoſte crudelior, niſi per hunc eſſet: cujus occaſione non ſimpliciter uſus, paulatim irrepebat: cuniculosq́; ſuos à mœnibus ad animos vertebat. Nec amplius à crudelitate periculum erat, ſed à clemētia. Cum dux hoſtium ſuaviſſimo ariete Douſicam oppugnaret fidem; blanditiis, venia, muneribus. Quibus armis neque gladii interdum pares ſunt, neq; muri. Facillime enim ferrum ab auro retunditur, ſæpiusq́; delinitur virtus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1285

virtus quam frangitur. Iiſdem machinis cives mox aliquot adortus, maximam jam ſtragem ſine cæde dederat: cum nec amplius hoſtes ſuos urbs agnoſceret, & ab amicis timeret. Solus interea ille in obſeſſa urbe liber nunquam ceſſabat, quin aut ſcribēda ageret, aut quæ egiſſet ſcriberet: ſolus vim intentatam vincebat, nec ab occulta vincebatur. Quæ omnia æternis verſibus poſteritati commendabat. Neq; prius Lugduno pedem extulit, quam patriam ſuam & in ea hanc urbem bis vindicaſſet; cura ab hoſtibus, ſcriptis ab oblivione: ſimulque eidem, quod rarum eſt, & libertatem conſervaret, & immortalitatem daret. Quo id cōſecutus eſt, ut qui ab obſeſſa urbe hoſtem rejecerat, in eandem mox vindicatam Muſas admitteret: & qui belli tempeſtate militibus imperaſſet, pace reſtituta Muſis præeſſet. Quæ gloria Douſam ad ſummum uſq; vitæ terminū ſecuta eſt. Ex hoc tempore divino ſtudio, cui diu animum intenderat, uti non frui cepit, & quæ voluptati nata multi nugantur, virtuti conſecrare. Patriæ ergo Annales verſibus cōſcribere aggreſſus eſt. Sciebat ex illo fonte ſapientiæ rivulos manaſſe omnes. Neminem olim eam coluiſſe quā ut doce-

ret. Omnem vero ſcientiam materia ali, argumenti dignitate accendi, eruditione exquiſita abſolvi. Sicut autem filiam fruſtra pulcherrimam habuit, qui eam male elocavit: ita artem fruſtra quivis pręſtantiſſimam coluit, niſi ſubjectum elegit. Non de hujus ævi hominibus loquor, qui, cum feliciſſime rem gerunt, in ſenſus delicatos & inanem verborum ſtrepitum totam poëſin detrudunt, ejectam regno ſuo. Sed de auguſta illa, quæ pulcherrimarum artium comitata agmine ſuaviter docebat: cujus exemplar Homerus, alumnus eſt Plato. Qui ubiq; poëtas imitatur, non ubique laudat: quaſi in urbe ſua eos ferre non poſſet, quos in animo gerebat. Sicut ergo arrogantes liberi qui parentes diffitentur, à vultu ſuo arguuntur: ita divinus Plato, quanvis Socratem ſectetur, Homerum releget, ubique patrem ſuum refert. Explora omnia, vide ſingula, exclamabis, *Sic oculos, ſic ille manus*. Infinita enim ſunt quæ poëtam abſolvant, cum modulatio vix inchoare poſſit. Quam olim miſerrimi homines docebant, nunc poëtæ diſcunt tantum: ut ſi quis in formoſa muliere nil præter tunicam amet, aut folium in arbore, aut pampinum in vite. Noluit

itaq;

itaq; poëta bonus eſſe, niſi & civis talis eſſet & hiſtoricus. Videbat majores ſuos viros nobiliſſimos eorum quæ pręclare geſſerant virtutem quidem ſibi, laudem autem aliis debere. Qui & parce meminiſſe poterant & maligne. Poſteriores autem homines parvam veritatis attuliſſe curam, eruditionis nullam. Multa itaq; à tenebris intercepta eſſe & oblivione, plura ab invidia. Parum autem intereſſe, poſteritatem ſi ſpectes, imbellis ſis an ignotus; ignavus vixeris, an habearis. Si qui adhuc ſupereſſent, ii nō homines loquebantur amplius, ſed monſtra. Gigantes hoc regnum invaſerant, & à terræ filiis deducebatur nobilitas. Quos omnes ille fulmine veritatis ex hoc coelo dejecit: primusque poëſin contulit, ut falſa refutaret, non ut ſcriberet: primus exemplo ſuo docuit, non minus ſine mendacio poëma eſſe poſſe, quam vinum ſine fæce, aut coelum ſine nube. Hos itaque annales exquiſitiſſimo carmine abſolvit: quos eoſdem ſtudio diligentiſſimo, pari veritatis cura, partim ipſe, partim incomparabilis adoleſcens filius, & nominis ejuſdem & ingenii conſors, ſoluto filo pertexuit. Itaq; hiſtoriæ leges, cum hoc ageret, ſervavit: & cum

poëtari

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1285

poëtari vellet, non tranſgreſſus eſt. Abeant ergo maligni homines, qui cum Douſam poëtam dicunt fuiſſe, cætera aut diſſimulant aut ignorant. Atque hæc quidem poſteris. Cæterum tempus Reip. dedit. In qua ita ſe geſſit, ut præclaram legum ſcientiam potius didiciſſe videretur, non ut male admiſſa damnaret, quam ne committeret: inculpatus ipſe viveret, quam alterum probaret. Malebat vir bonus eſſe, quam aut patronus aut judex. Nos, quod poſtremum eſt, juſtitiam quoque artem fecimus. Itaque eodem tempore in curia diſerti ſumus, in vita improbi. Ad eam ille non factus, ſed natus erat. Leges ſervare quam diſcere malebat. Solam integritatem non è libris, ſed à natura habebat. Reliqua contemplari ſolebat, hanc ſolam agere. Eos vero miſerrimos dicebat, qui ita ſollicite ocium ſuum virtuti impendunt, ut ne probitati quidem vacare poſſint. Hi ſunt qui cum faſtu ambulant, qui in mores inquirunt, qui de vita judicant: & in omnibus deſiderant, quod non habent. Sicut ægri qui medicos diligenter audiunt nec remedium adhibent, nunquam convaleſcunt: ſic qui virtutem profitentur tantum, ea carent.

Et ut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1285

Et ut in certamine nō fortiſſimo palma defertur, ſed qui vincit: ſic in vita, niſi qui probe agit, hoc eſſe deſinit. Nam & in lucta ceſſare poteſt Hercules, & in palæſtra dormire Milo, & in urbe ocioſus eſſe Ariſtides. Merito itaque in functione virtutis ſapientiſſimi homines felicitatem locant, non in ipſa: & multis gradibus à fine noſtro abeſt ſcientia. Quare qui nil pulchrius arbitratur, quam leges ſcire, nondum probus eſt: ſed ut in eadem medicina, nihil facilius, quam helleborum cognoſcere, aut mel, aut vinum, aut quicquid deniq; valetudini conducit: hæc vero probe miſcere, recte adhibere, artis conſummatio eſt. Ita facilius multo eſt, ſcire quod juſtum eſt, quam eſſe; virtutis præcepta tenere, quam ſequi. Et ſi penitus rem inſpiciamus, leges prius meruimus, quam fecimus. Vt enim in urbe in qua nemo laborat, ne medico quidem opus eſt: ita prẹſtaret leges non eſſe, niſi eſſent improbi: quarum quia probus fere nemo eſt, melior habetur ſcientia. Quare ne hodie quidem ſumma felicitas eſſe poteſt, jura intelligere, cum olim fuerit non habere: neque optimi eſſe poſſunt, qui ſtatuta tantum imperatorum aſſequuntur, cum ne-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1285

mo ante eorum uſum fuit improbus. Merito ergo doctiſſimi Græciæ viri, iidemq́; antiquiſſimi, beatiſſimum ſæculum nō illud judicant, ſub quo leges erant optimę; ſed quo nullæ: ſive illud cum poëtis aureum, ſive cum eorum interprete Platone, imperatorium voces. Qui divinus vir, neque Athenienſium, neque Cretenſium, neque Lacedæmoniorum, neq; ſuæ denique Reip. palmam tribuit: ſed illi potius, in qua ſine jure æquitas, ſine lege erant boni mores. Cujus cives non Græci, non Romani, ſed Felices ab Heſiodo dicuntur, ſicut ab Homero Dii. Cum pro duodecim tabulis duæ eſſent; pudoris & modeſtiæ: pro honorario jure, ſola æqualitas. Quibus ſublatis nec urbibus ſuffecere leges, nec hominibus: ſed cum moribus ſemper paria fecerunt. Illius ſive civitatis incolæ, ſive ſtirpis propago paulatim eſſe deſiit, ex quo bonum imperari, malum puniri cepit. Fuit vero Douſa cum paucis: qui quanvis omnium diſciplinarum principem, quam noſtri juriſprudentiam dicunt, eſſe fateretur, neque à curia rebusq́; forenſibus, improbitate ſæculi adductus, abſtineret; nihilominus una cum toga & animum exuebat judicis & vultum.

tum. Neque domum redibat, niſi ſimul ad ſapientiæ ſtudium rediret. Sicut Alpheum tradunt veteres Arethuſæ miſceri, neque quicquam tamen ab ea trahere: ita ille divinitati ſuę intentus animus, ex aula rebusq́ue civilibus ſe conferebat; nec Muſarum immemor, nec ſui. Ibi omiſſis curarum forenſium anguſtiis, inter chartas amœniſſimas, libellosq́ue ſuos vagabatur: & quicquid præſtantiſſimorum hominum ingenia ad nominis immortalitatem ſibi ſupereſſe voluerunt, libere pervolvebat. O beatum animum, qui ſive à natura ſive ex inſtituto ſapientię, hos in ſimplicitate progreſſus fecerat, ut nihil magis invitus intraret quam curiam, indueret quam togam. Securitatem enim ſuam magis innocentia tuebatur, quam legum ſcientia: nec unquam niſi alterius de cauſa inter judices ſedebat. Quæ virtus, qualis ea ſit tandem, ita rara eſſe cœpit, ut vix laudari poſſit amplius: ex quo generoſitatis ambitio, innocentiæ nomen occupat ignavia. Poſſum equidem magnanimitatem in Rep. poſſum vigilantiam celebrare, poſſum æquitatem. Nihil eſt facilius quam judicem integrum, fortem conſulem, ſenatorem prudentem extol-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1285

lere. Sed qui hæc omnia ne ſperat quidem, non ſapientiæ jam humanæ, ſed & laudis noſtræ exceſſit terminum. Quia ultimum quod laudatur hodie, ambitio; quod optatur, honor eſt: qui ut aliquem potentem, ita neminem unquam effecit beatum. Itaque qui ne vota quidem cum hominibus communia habet, hunc ego jam cum Dîs verſari judico. Quia neque habet quod perdat, neque optat. Ita bis felix eſt, & cum cõſequitur quæ ſperat, & quæ conſecutus eſt, non amittit. Contra qui ambitioni ſacramentum dedit, bis miſer eſt: nam & cum fortuna & cum cupiditate contrahit: quarum altera ſine ratione, altera ſine modo, neutra noſtræ poteſtatis eſt. Nam & quod cupias ſucceſſu carere poteſt, & limite. Nec magis in manu ambitioſi eſt, ut multum conſequatur, quam ut parum petat. Vt omittam, non tam in proclivi eſſe impetrare quæ flagitas, quam amittere quæ impetraſti. Inter duplices ergo fortunæ inſidias verſatur, quæ aufert & quæ negat: nec à cupiditate recedit, quæ rurſus ambit. Qui conſulatum inhiat, fortaſſe nec illum conſequetur, & prætura excidet: & ſi conſequitur, nondum dictator eſt. Itaque ſi miſer

non

non eſt, nec eſt felix: quia ambitioni deeſt quantum reſtat; nec unde veniat perpendat, ſed quo tendat. Hi ſunt votorum noſtrorum ſcopuli: inter hos nõ modo quotidie elidimur, ſed & lubenter jactamur. Vt majoris ſit viri, perire nolle, quam ſervari. Hos ille non patienter modo vitabat, ſed & lubenter. Itaque divinam ejus virtutem facilius fuit contemnere, quam ſequi: ridere, quam intelligere. Quia diu ante hoc ſæculum hæc virtus laudari deſiit, quam nec purpura conſpecta movet, nec impetrata levat, nec erepta dejicit. Qui eodem vultu faſces ponit & ſumit: nec intereſſe putat, utrum domum deducatur an veniat. Vt in magna temulentorum hominum turba vir ſapiens ſi obambulet, riſum inter eos merebitur, illorum vitio non ſuo: Ita hac ætate non facile eſt tranquillitatem ſimul invenire, & plauſum. Quod cum ſciret vir innocentiſſimus, nunquam ambiit, & tamen cõſecutus eſt; nunquam candidatus fuit, & tamen magiſtratum geſſit. Qui cum ſupremus eſſet in hoc genere, minus tamen dignitatis Douſæ addidit, quam accepit. Etenim & cõtemnendo eum meruit, & quia merebatur contempſit. Nam & is qui

maxima petit, tamen ſe ſubmittit: quia & ſervire poteſt, & parere, & blandiri, & ad nutum loqui. Non ferebant autem ſummi in hac Rep. viri, & indignum hujus terræ moribus judicabant, ſi is qui nobiliſſimus erat, & in hoc ſolo natus, ſolus ſemper privatus eſſet. Ergo judicio potius amicorum quam ſuo, tantum patriæ ſuæ conceſſit, quantum alii vix impetrant. Ad curiam ſe demiſit verius, quam acceſſit. Plurima & in patria geſſit, & pro ea. Legationes obivit plurimas: nec ullius ore ſępius quam Douſico locuta eſt Batavia. Neque ullum propterea à priſtino ſuo inſtituto divortium fecit, nec cum chartis ſuaviſſimis: quæ ut juvenem ſemper oblectarunt, ita ſenem ad extremum uſque ſpiritum detinuerunt. Etenim quam ex dignitatis onere ſecuritatem non ſperabat, in humanitate collegarum invenit: quibus nihil lubentius quam ocium ſuum debebat. Nec in moribus quicquam unquam mutavit, quia majoribus ſe dignum judicabat. Infelices ſunt quos aura plebeia tollit, qui tum demũ ſe æſtimare incipiunt, cum ſalutantur crebrius & viſuntur. Qui ultra atrium neminem admittunt: & quos amabant olim, illis conſpectum ſuum impu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1285

imputant. Porro cum eodem tempore & Academiæ curam ſuſtineret & Reip. & in toto terrarum orbe eſſet celeberrimus, neq; quisquam Douſam ignoraret, niſi qui humanitates nondum attigiſſet; nemo odiſſet, niſi qui omnium ſimul literarum hoſtis eſſet; neceſſe fuit tam nobilem domum patere omnibus. Ergo obſidebatur quotidie limen; ſollicitabantur fores, implebantur atria. Non quidem moleſto cauſidicorum agmine, nec importuno litigantium grege, nec obſcena damnatorum turba; ſed ingenuarum artium, liberalium ſcientiarum canditatis: qui cum ex alio nonnunquam orbe delati eſſent, ut Douſam, cujus nil præter nomen viderant, coram intueri poſſent; mirabantur nihil ſibi facilius unquam contigiſſe, quam quod poſt tot vota conſecuti erant. Admittebat enim omnes ſine faſtu, ſine inſolentia, ſine ſupercilio; non in ædes tantum ſuas, ſed & in animum. Nihil celabat, nihil ſuſpicabatur: qui maximus innocentiæ fructus eſt. Nemo enim bene de omnibus ſentire poteſt, quam qui optimus eſt. Nemo fraudem expectat, priuſquam fecit: & ſi per gradus ſuos improbitatem ſubducimus,

poſte-

poſterior eſt ſuſpicio, quam ſcelus. Humanitatem ſuam exhibebat omnibus: omnes aut menſa exceptos dimittebat, aut domo. Nemo unquam ex ædibus illis aut ſordidum reum, aut prehenſatorem humilem, aut ſalutatorem ambitioſum exire vidit. Nunquam alios clientes in ſumma dignitate Douſa habuit, quam Socrates, aut Plato, aut Ariſtoteles, cæteræque immortales illæ animæ, quæ procul ab occupationibus publicis, ſub Academiæ umbraculis, & Lycæi viridariis ſcientias educarunt. Facilitas enim illa, ſapientiæ propemodū ipſius virtus eſt, non hominis: nec quicquam tam ad na turam cœleſtem accedit, quam ut multis proſis. Sicut duo formoſiſſima lumina, ſol interdiu omnibus oritur: luna innumeris comitata ſideribus, etiam pecudi paſcenti, noctu lumen præbet: ita viri magni neminem averſantur, & interdum indignos complectuntur, ne pauciores juvent. Quid aqua fontana purius? Ea tamen per argenteos diffuſa rivulos, dum herbas vicinas alit, urticam irrigat, hominemque quenlibet è via ſitientem admittit. Quid pluvia utilius? In publico cadit. Nihil optimum eſt quod non commune ſit. Pul-

chrio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1285

chriora ſunt fere, quæ neminem excludunt, quam quæ multis placent. Et ſi facilitatis originem ſpectes, à natura eſt. Iam illud ocium quod juſtitium indulgere ſolet, quis unquam melius impendit? Nam & patriæ hoc reddebat, quod à curia impetrabat: & quoties ab hominibus ſecedebat, cum libris verſabatur: qui cum poſteritatem doceant, integriores ſunt. Præſertim, ubi ſpectatur veritas, quæ narrationis anima eſt: in qua rerum cauſæ facile ex eventu petuntur, nec aberrat lector, niſi fallat hiſtoricus. Porro cum ſapientiam multa; prudentiam confirment ſingula: quæ tantum extremorum eſt, ut Ariſtoteles loquitur, & in actionis arcem tendit: ejusque via ſit unica; Experientia, aut Vſus. Qui cum ex diverſitate rerum unum conſtituat, nunquam abſolutus eſt; ſiquidem cum hac vita terminatur. Nam & obſervandum ex omnibus quod ſequare, & colligendum ex pluribus quod agas; non hominibus tantum, ſed & ſæculis. Naturę autem inclementia cum vix unum indulſerit, multa adjecit humana induſtria: quæ & ætates longiſſimas conjungere, & diverſiſſimos populos contendere, & ex his omnibus judicare

permiſit. ut cum vitæ uſus nobis ſit anguſtæ, fructum tamen concedat infinitæ: Nihil hac lectione potuit invenire dignius, vel ſenatore vel hiſtorico. Quædam enim ad exemplum vitæ trahebat, quædam ad ſtyli imitationem ſeponebat. Quæ nemini credebat quam ſibi. Servabat enim ea tenaciſſime, nec ab alio rationem exigebat ſingulorum, quam à memoria. Non tantùm ut nomenclator parum diligens, cui audacia interdum pro felicitate eſt, & apponit quæ oblitus eſt: ſed ut eodem filo, ſi opus eſſet, eodem ordine recitaret ſingula. Meminerunt viri in hac urbe maximi, meminiſti rerum humanarum ſplendor, Ioſephe Scaliger, quoties inter epulas, & elegantiores menſę delicias, ad quas literatos ſemper vocabat, cum ovis ſermonem auſpicatus, vix in bellariis remiſerit: integraſque Criſpi ſui aut Cornelii pagellas continuarit. Nobis obſtupeſcentibus interim, quibus jam reliqua ſordebant fercula: nec quicquam in menſa prę illo ſapere videbatur. Simonidis memoriæ multum miraculi addidit Græcorum ſchola Rhetorum, aliquid fidei detraxit Fabius. Nos neque factum dicimus, & fieri potuiſſe non negamus. Nam & majo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1285

majora vidimus, nec tamen Deorum interventu egemus: cui plerunq; illa aſſignant, quæ difficulter perſuadere poſſunt. nec aliter res magnas proponunt, quam intricatas tragoedias abſolvunt. Nihil erat geſtum quod ignoraret: non res Græcorum modo aut Romanorum; veterum novorum: ſed terrarũ omnium & ætatum. Vt quicquid extitiſſet unquam, non tam evoluiſſe videretur, quam circumferre. Quod totum in eo inchoarat natura, perfecerat induſtria. Nullam enim ſchedam ſe doctiorem habebat: nec quicquam ſcribere malebat, quam ſcire. Qua ratione id aſſecutus eſt, ut ubicunque locorum eſſet, non jam bibliothecam habuiſſe videretur, ſed eſſe: nec legiſſe multa, ſed nihil ignorare. Hunc itaque vir ſummus ſtudiorum ſuorum fructum vidit, ut eruditiſſimus eſſet, & celeberrimus: hunc vitæ ſuæ, ut innocentiſſimus. Quis igitur lubentius mori debuit, quam is qui ſe ſemper victurum ſciret, & inculpate vixiſſe meminiſſet? Qui omnium judicio & ſuo virtutis finem attigiſſet & ſcientiæ? Quanvis ergo ſummæ vitæ felicitati nihil addi poteſt ab ipſa, poteſt tamen accedere teſtimoniũ mortis: quæ novam

vel exhibet vel promittit. Itaque priuſquam è vita excederet, integro adhuc corpore in ſecreta admiſſus animæ, gaudium immortalitatis delibavit: quodque mortuis evenire ſolet, jam moribundus præcepit. Cum enim paulatim ſine cruciatu ullo, è ſtatione ſua abire beatiſſima pararet anima; ecce tibi, ſubito & præter expectationem omnium, exclamat ille, amicisque aſtantibus, Quid, inquit, an ſolus audio? Quis iſte ſonus eſt? Quæ iſta modulatio? Diu prius omnes admirati, cum nihil ſentirent, viderunt tandem, quod res erat, virum divinum cœleſtibus initiatum myſteriis, non amplius humana loqui: animumque puriſſimum inter celeritates æternorum orbium, ſiderumque concurſus, è quibus jam olim delapſus erat, iterum aberrare. Quæ cum proportione æqua, intervallis diſtincta imparibus, concentus edant ſuaviſſimos; mens noſtra æternitati ſuæ vicina, ſi nec arcte adhæret corpori, nec in immundo verſatur, ejuſdem naturæ ſonitum admittit: quem improbitatis nubes intercepit. Eadem enim virtutum eſt ratio, quæ animorum, quæ ſiderum; partium nimirum æqualitas. Quæ ſi turbetur, facillime obſur-

obſurdeſcimus. Surditas perpetua animorum ſcelus eſt: huic intentus animus, neque concentus divinos admittit, neque ſiderum impulſus ſuaviſſimos audit, neque beatiſſima harmonia fruitur. Fruuntur autem innocentium virorum animæ: quibus hoc conceditur, ut priuſquam homines eſſe deſinant, immortales fiant: priuſquam è terris recedant, cum Diis verſentur. Tum demum puriſſimus ille ſenſus, explorator ſiderum, venit. qui priuſquam è corpore abit ad ſe redire ſolet: gaudiumq́ue ſuum ſentit priuſquam habet; fruitur priuſquam conſecutus eſt. Crœſi filium ferunt, cum vocem toto vitæ tempore emiſiſſet nullam, viſo percuſſore patris, exclamaſſe: idem ſanctis viris accidit. Violentum eſt, quicquid id eſt quod nos cum Deo conjungit: legesq́ue corporis facillime tranſcendit, qui mox ſine eo futurus eſt. O felicem animam, quæ nondum ex hominibus receſſeras, & jam cum Deo eras: nondum cum corpore divortium feceras, & jam illud relinquebas: nondum mori poſſe deſieras, & jam æternitatem inchoaras. Miſerrimi ſunt, qui cum morte contendunt: tu illam prævenisti.

Miſerrimi ſunt quos improbitatis ſuæ ſenſus conſtrictos tenent: tu virtutis tuæ præmium jam deguſtabas. Neq; cum morte felicitatem adibas, ſed prægreſſus eras. Beatiſſimus igitur ſpiritus tranſlatus eſt, non deceſſit: locum mutavit, non reliquit. quodque humanæ felicitatis ſupremum eſt, nec dolore expreſſus, nec morbo labefactus. Sicut fulgur nubem ſiccam facillime perrumpit; exhalatio humida cum lenta & caliginoſa diu luctatur: ita inculpatus animus è puro corpore cito fertur; ſceleribus contra inquinatus tarde recedit. Non vacat cogitare quantum nos amiſimus, cum cogitamus quantum tu conſecutus es: & tamen infelices ſumus. Eodem enim tempore & parentem requirit Academia, & ſenatorem curia, & civem inculpatum patria, & hiſtoricum Batavia. Delicatus aliorum luctus eſt. Patrem deplorat aliquis, aut matrem: fratris cauſa publicum non videt, affinis cibum non capit. Anguſta ſunt hæc nomina, & quæ ſuis concluſa parietibus limen non excedunt. Nos in eodem hæc omnia, ſed quod plus eſt, omnes. Neque tantum teſtari luctum poſſumus ſinguli, quantum debemus univerſi. Singula

tempus requirunt, ſingula ſpatium merentur, ſingula oratorem flagitant. Nos noſtra loquimur: reliquorum prætermittimus. Si quis vero veſtrum eſt, Auditores Nobiliſſimi, qui præſtantiſſimi viri merita non ignoravit, is ſaltem cogitatione nos juvet. Cogitate quantum Reſp. amittat, quantum curia, quantum hiſtoria: nec enim aliorum mala commemorare poſſumus, qui vix noſtra feramus. Nos vero qui eodem gradu Douſam cõtingimus: quos literarum conjunxit non ſanguinis neceſſitas, quid agemus? Quid ego? qui ſi Douſam non lugerem vobiſcum, patrem tamen ſolus lugere debebam. Quem ille ſuis oculis & propemodum his ſtudiis cariorem habuit: cui tot divinis verſibus famam, cui nomen, cui æternitatem reliquit. Ego vero Dii immortales naufragium hoc omnium laborum meorum & curarum pertinaciter feram. Vt is quem vos incomparabili ſtudiorum ſuorũ autore, patrono, inſpectore, teſte, fautore mulctaſtis; is eorundem ſtudiorũ fructu reliquos omnes poſthac mulctare incipiat. Neque aliter ſanctiſſimi viri manes quam æterno ſilentio mactabo.

DIXI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1285

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1285

DANIELIS HEINSII
MANES DOVSICI.

AD MANES.

INnocui Manes, & magni nominis umbra:
Et quicquid non ſervat humus, nec ſubtrahit urna
Sedibus æternis ſuperûm, mundóque Deorum.
Quicquid adhuc Douſæ ſuperes: ſeu certa pererras
Aſtra, polumq́ue tuum, qua cœlum dividit ingens
Circulus, & puro ſtellarum colligit orbe
Errantes heroum animas: ſeu liber & expers
Nominis, immenſi pars es pulcherrima mundi;
Accipe crudeles gemitus, & flebile murmur;
Nec vultus averte tuos: ſi candidus adſto
Pectoris, innocuusq́ue animi, ſimplexq́ue ſacerdos
Muſarum Phœbiq́ue. & primis integer annis
Privatam merui toties decerpere laurum,
Iudice te tanto: quam, ſi modo fata ſuperſunt,
Poſtibus infigam patriæ, tumulumq́ue quotannis
Manibus extollam ingentem, & certamina condam.
Hic quoque quicquid ero, Batavorum extrema ſecutus
Fataq́ue fortunasq́ue, & non ignobilis exul,
Vocibus inſueſcam ſolennibus: & tua clamans
Nomina, ſupremos indicam liber honores.

I.

AD ACADEMIÆ LUGDUNENSIS MEMBRA.

DUlces amici, quos ab extremo ſinu,
Quacunque puram cælat aut promit facem
Titan ab undis, prævięque puppibus
Vultum minores exerunt Atlantides,
Excelſa virtus, Douſicique nominis
Fulgor ſerenus luce pellexit ſua;
Habet, peractum eſt. Funus ingentis viri
Orbis fatetur: * conſciusque criminis
Mundus, Batava pallet & languet die:
Totúmque nubes induit cœlum ſuas,
Ætherque mœſto triſtis incumbit ſolo.
Nec neſcit illud, ſi quis ignotum ſecat
Pinu profundum, duplicéſque turbidæ
Noctis tenebras nauta percuſſus pavet:
Douſamque toto pallidus cœlo videt,
Errátque in undis. Sancta Lugdunum tacet,
Clauſitque mœſtus templa Muſarum pavor.
Nondúmque luctum percipit tellus ſuum;
Adhuc ſtupeſcit. Haga defunctum tenet,
Tantúmque funus una concludit domus,
Multóſque fallit. Talis erepto Herculé
Feralis Oetæ triſtis eluxit rogus:
Priuſque divum ſenſit Alciden polus;
Quam terra raptum. Laudibus toto jacet
Diviſus orbe. civitas artus habet;
Mundúſque Douſam. Terminos nomen viri
Et ſol eoſdem, patriam luctus tenent
Adhuc recentes: ibit in cunctos tamen,

* Propter imbres, qui fere octiduum continui fuere, circa exceſſum Douſicum.

Gen-

Gentésque ſenſim tardus invadet dolor,
Et dignus illo. Neminem luget ſimul
Quem novit orbis. Prima nos tangunt mala,
Nimiúmque ſcimus: proximi fato ſumus,
Primásque mundo lachrymas Douſæ damus,
Mæſtásque voces: cæteros junget dies
Quos cauſa jungit. longus à tergo meo
Orbis ſequetur: quaque tellurem premit
Dolore ruptus Douſico ſtabit polus.

II.
AD MVSAS LVGDVNENSES.

QVis me querulæ procul hinc Divæ,
Quis vobiſcum dulcia tollat
Lugdunenſes numina Muſæ?
Vbi per frondes Zephyrus leni
Murmure lapſus, ſtrepitu triſtem
Vindicat Hagam.
Vbi Douſa meus, procul inviſa
Liber ab urna, docuit ſolas
Reſonare ſibi carmina ſylvas.
Recubánsque levi tutus in umbra,
Litibus æger, plenúsque fori,
Procul inſana fugit ab urbe.
Lachrymas illic, lachrymas illic,
Lugdunenſes lachrymas illic
Fundite Muſæ.
Et cum lachrymis dicite veſtris:
Quæ te noſtris rebus ademptum
Invida fati ſuſtulit aura,
Rex Pieridum, dux Muſarum,

Optime Douſa?
Tibi ſimplicitas, tibi mens recti
Conſcia, nullis labefacta fuit
Sordibus ævi.
Non ambitio cæca futuri,
Non promiſſi purpura fallax,
Non è voto peritura ſuo
Vana cupido, dubio mentem
Polluit auro. Sed caſtus amor,
Spésque arcta, ſui limine tecti
Poſitura modum, nunquam vanos
Miſit in auſus; placidos inter
Secura tenens regna libellos.
Hic modo conſul, modo Cæſar eras:
Dominumque ſuum lepido ſemper
Invadebant agmine Muſæ,
Et chartarum juſta ſupellex.
Illic tenero tranquilla dabas
Jura Catullo, vel quem levibus
Cynthia quondam cepit ocellis.
Populósque tuos hilari circum
Lumine cernens, felix ſemper
Votíque tui certus abibas;
Semper tanta liber in urbe.
Regem, Muſę, plangite veſtrum:
Qui non crinem Perſide gemma
Poſt Pellæum condidit aurum.
Qui non cunctas undique ſolus,
Quas aurato videt aſpectu
Maximus æther, poſſedit opes;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1285

Sed contempſit: melior regni
Idemq́ue ſui certior autor.

III.

Threnus.

QValis pampinea pendens e fronde cicada
Tranquilli placidè tempora veris agit:
Et modo cum Zephyro ſuſtollitur hinc atque illinc,
Et leviter motis erigitur foliis.
Nunc dulci ſtrepitu concuſsis leniter alis,
Ebria nocturnis roribus intremuit:
Innocuamq́ue una ſolatur voce ſenectam,
Delicię ruris, delicię domini.
Aſt illam pedibus laſcivus forte viator
Conterit, & priſcis excutit è laribus.
Languet humus: gemit amiſſam longęvus arator,
Et viduus dulci murmure torpet ager.
Sic te, Douſa, tuam ſolantem carmine gentem
Improba mors noſtris abſtulit ex oculis.
At nobis ſuperant triſtes lachrymę & ſingultus,
Et vidua eſt blandis patria carminibus.

IIII.

AD SOLEM.

AVriga lucis, ignei poli curſor,
Metator æthrę, temperator horarum,
Ævi miniſter, circulator æterne,
Luſtrator orbis, diſsipator umbrarum:
Currus perennis igneæq́ue quadrigæ

Frænator ingens: qui diem vehis purum,
Rurſusque vultum ſurripis tuum mundo,
Et candicantis occulis comæ flammam;
Cras è lacertis Thetyos tuæ rurſus
Redibis: at nox occupat meum ſolem.

V.

AD SIDERA.

DVlces alumni noctis, ignei fratres,
Parvæ cohortes, aurei poli cives,
Qui per ſerenos ætheris vagi campos
Molles choreas ducitis levi planta,
Cum membra noſtra molliter reclinata,
Victosque ſenſus occupat ſopor lenis;
Quid nunc, ut ante, per domum poli pictam,
Et è latebris, fornicisque inauratæ
Puris feneſtris, tollitis ſacrum vultum?
Abite rurſus: non videbitis Douſam.

VI.

Threnus.

QValis virginea florens ætate puella,
Cypridis haud ullis ſaucia vulneribus,
Sollicitæ primos genetrici devovet annos,
Caſtaque dilecto conditur in thalamo.
Et quoties ſomnus victos expugnat ocellos,
Languida materno labitur in gremio,
Intendensque ſuos in dulcia colla lacertos,
Deficit, & blando victa ſopore jacet.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1285

At matrem ſubito divæ nimium crudeles
Abreptam tenebris involüere ſuis.
Illa manet, ſervatque orbum deſerta cubile:
Et necdum matrem credit abeſſe ſuam.
Sed modo mœſta jacet, modo per thalamum nequicquam
Dulcia protendens brachia, deficitur
Optato prius amplexu: neque dulcia ſentit
Lumina, ſed ſolas corporis exuvias.
Has premit infelix: has toto corpore tangens
Anxia mens, triſtes ſolvitur in lachrymas.
Donec ſollicitam blando ſopor interventu
Paulatim dubiis fallit imaginibus,
Turbantem ſomnos, & adhuc in matre jacentem,
Dum croceo rurſus Lucifer exit equo.
Sic nos, Douſa, tui percuſſos vulnere fati
Attonitus toto pectore jactat amor.
Cunctaque turbantes gemitu, pater, atque errantes
Dividit à doctis undique virginibus.

VII.

AD ECHO DOVSICAM.

PRoles aëris, ultimæque vocis
Semigarrula ſemimuta cuſtos:
Quæ tantum loqueris taceſque juſſa,
Et ſequi potes, & nequis præire;
Vox tantum neque tota: quæ quod audis
Reſpondere potes, loquique neſcis.
Douſæ deliciæ jocuſque noſtri,
Et ſolatia deſidis ſenectæ,

Docti

Docti paſſere dulcior Catulli.
Quam blandis numeriſque, garruliſque
Ciens vocibus entheæ Camenæ,
Haganis animavit in ſalictis.
Dum ſemper canit, accipitque ſemper,
Nec quicquam, niſi ſit locutus, audit,
Quæ, Douſa præeunte, verba ſumma,
Extremáſque ſoles referre voces;
Nil illo præeunte, nil ſonabis.

VIII.

AD MVSAS SVAS.

HEinſi deliciæ, leves Camenæ,
Quas plus Douſa ſuis amabat olim
Non illis oculis, ſceleſta Parca
Quos jam condidit abſtulitque nobis,
Sed Muſis propriis, ſuiſque Muſis,
Muſis mollibus, aureiſque Muſis,
Muſis dulcibus, inclytisque Muſis,
Et ſuperſtitibus ſuo poëtæ,
Quas primis ſatur ebriúſque flammis
Idæ lenibus hauſit è labellis;
Vobis inferiaſque lachrymáſque
Solvit Heinſius, Heinſius ſuperſtes
Et Douſæ ſimul, & ſuis Camenis.
Actum eſt ilicet: ilicet valete.
Quis vos jam colet expetétque, Muſæ?
Quis vos poſtmodo deperibit unquam,
Heinſi deliciæ, leves Camenæ?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1285

I.

IANO DOUSÆ VERITATIS ASSERTORI.

CVm vaſta proles imminens Olympo,
Centumque nixa brachiis juventus,
Proſtrata cœlo, viribuſque fractis
Dejecta, totam conderet parentem.
Fuſuſque longam ſuſtineret Ætnam,
Et membra lato ſpargeret Peloro
Ingens Typhœus; deſides Camenæ
Dignum triumpho condidere carmen:
Victoriæque magna pars Apollo,
Lyram ſoluto colligebat arcu.
Nos crimen audax matris inſolentis,
Puerperamque parturire terram
Novo Gigantes vidimus duello.
* *Dibualdus audax, impotenſque Lemus,*
Arundilique ſæva vis minacis,
Omnes vel Oto vel pares Mimanti,
Impune faſtos preſſerant Batavos.
Hos Douſa, collo cruribuſque ruptis,
Suis, ut ante, reddidit tenebris.
Ergo Camenæ perpeti quotannis
Adoreaque, muſicoque rore,
Novaque lauro, cymbiiſque ſacram
Bacchi liquentis irrigamus urnam.
Vterque victor, hic & hic, Gigantum:
Vterque mactus, Douſa, Iupiterque eſt:
Hic fulmine audax; ille veritate.

* Nomina Gigantum, quibus triviales quidam Hiſtoriam Batavicam conſpurcarunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1285

II.

IANO DOVSÆ LIBERTATIS VINDICI.

EPIGRAMMA.

ARdua cum ſævo tremeret ſub milite Leyda,
Templaque Muſarum ſollicitaret Iber,
Et pariter ferrum, pariterque inſtaret egeſtas,
Nec fugeret partes illa vel illa ſuas;
Douſa, tenens dextra calamum, ſcutumque ſiniſtra,
Conſtitit, & clauſa liber in urbe fuit.
Et, Manus hæc famam patriæ, dabit illa ſalutem,
Inquit, & eventum juſſit habere ſuum.
Nam modo crudeles animum vortebat in hoſtes,
Et modo victurum concipiebat opus.
Audiit, & Douſæ celebrari carmine poſcens,
Cæruleas Nereus voluere cepit aquas.
Continuo turpis latebras vix invenit hoſtis;
Vix bene qua fugiat mollis Iberus habet.
Prodigii laus, Douſa, tua eſt: qui namque nec armis,
Nec potuit vinci tempore, vicit aquis.

EIDEM,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1285

III.

EIDEM,

de columbis quibus in obſidione uſus eſt.

Γῆν Βατάβων ὅτε πᾶσαν Ἄρης ἐφόβησεν Ἴβηρος,
Τείχεα Λουγδούνου ἱερὰ περιπλόμενος,
Δουσιάδης δόρυ πάλλεν, ἔη δ' ἤμυνε πόληι,
Ῥινοτόρῳ μίξας Φοῖβον Ἐνυαλίῳ.
Ἀμφοτέρῃσι δὲ χερσὶν ὁμοίιον ἤρατο κῦδος·
Τῇ μὲν ἔπη γράψας, τῇ δὲ μαχεσσάμενος.
Ἤδη πάντα λέλοιπε, κακὴ δ' ἐρεύγετο γαστήρ·
Πάντα δὲ καὶ λιμῷ τείρετο, καὶ πολέμῳ.
Οὐδ' ἔτι τις μερόπεσσι φάνη ὁδὸς, οὐδ' ἔτι νηυσί·
Οὐδὲ δι' ἐκ γαίης, οὐδὲ δι' ἐκ ποταμοῦ.
Τῶν δ' ἄταρ οὐκ ἔτι μέλλεν ἐς ὕστερον ἔμμεν ἄπυστος
(Ἄϊε γὰρ δούπων αἰὲν ἐπορνυμένων)
Δουζόφιλος Κυθέρεια· φίλον δ' ἐλέαιρεν ἀοιδόν·
Ὤιχετο δ' εἰς Κύπρου ἤθεα καὶ τεμένη.
Ἅρματι δὲ σφετέρῳ ταχινὰς ζεύγνυσκε πελειὰς,
Οἰέτεας· μικρὸς δ' ἡνιόχευεν Ἔρως.
Αὐτίκα δὲ μάστιγα καὶ ἡνία λάζετο χειρί·
Δῦ καὶ διὰ πυλέων, δῦ δὲ διὰ προμάχων.
Δοῦσα δέ μιν γίνωσκε μάλ' αὐτίκα, πολλάκι κείνου,
Παιδνὸς ἐὼν, λυγρῷ ἕλκεϊ τειρόμενος.
Τὰς δὲ λαβὼν ἀφέηκε δι' ἠέρος εὐθὺ πέτεσθαι,
Σήματα καὶ φίλων γράμματα δεξαμένας.
Αἱ δὲ μάλ' ὦκα φέροντο, πάλιν δ' οἰκόνδε νέοντο.
Ταῦτα δὲ νόστησαν αἰὲν ἀειδόμεναι·
ΚΛΕΙΣΟΝ ΚΛΕΙΣΟΝ ΙΒΗΡΕ ΠΕΡΙ ΧΘΟΝΑ, ΚΑΙ ΜΕΛΑΝ ΥΔΩΡ·
ΑΜΜΕ ΜΕΤ' ΗΕΡΙΩΝ ΕΚΤΡΕΧΟΜΕΝ ΖΕΦΥΡΩΝ.

IIII.

EIDEM,

de iiſdem.

Perfidus ingentem veſano milite Leydam
Cinxerat, & vaſto robore, miles Iber.
Terra, ſalumque, inquit, mea ſunt: via nulla ſalutis:
Nulla patet puppi ſemita, nulla viro.
Douſa meus, medio, ſpe libertatis, in hoſte
Liber, & invicto pectore tutus, erat.
Ille, Polus, dixit, dominum non novit Iberum:
Et tua ſola mihi, Jupiter, aula vacat.
Hinc quoque fas nobis patriæ ſperare ſalutem:
Ille mihi Minos hac fugiendus erit.
Quo patriæ non tendit amor? qui falleret hoſtem
Douſa virum nequiit mittere: miſit avem.

V.

IANO DOUSÆ VICTORI.

Turpis nænia, præficæque queſtus,
Et triſti precio redempta lingua,
Et ſuſpiria, turbidique luctus,
Et ſingultibus impedita verba,
Thyrrenuſque tubæ frementis horror:
Et quicquid cinerique, funeriſque
Pompæ, muneris imputatur uſquam;
Monemus procul eſte. Nemo ponit
Sepulchrum tibi Douſa, ſed trophæum.

VI.

IANO DOVSÆ VIRO BEATISSIMO, Votum pro felicitate, AD MANES EJUSDEM.

» *FElix, qui medio ſuppoſitus polo,*
» *Fortunæ potuit tangere terminum.*
» *Qui tanquam proprium conſpicit aërem,*
» *Et quicquid facies conſpicit aëris,*
» *Nec ſperat cupidus, nec male poſſidet;*
» *Sed ſecurus habet. Sic volucris vaga,*
» *Sic piſcis medio vivit in æquore.*
» *Nobis ſors miſeris ultima contigit,*
» *Queîs ſperare licet: curaque limites*
» *Privatos poſuit, quos ſcelus abſtulit.*
» *Non gemmæ precium fingit, & inſolens*
» *Rubri divitias amplificat maris.*
» *Non plauſum numerat plebis, & ambitum*
» *Incertus trepidi ſollicitat fori.*
» *Non victi lachrymas vendit, & atrio*
» *Importuna locat tempora, nec fores*
» *Pulſatæ dubiis faſcibus intonant.*
» *Sed ſomnos patitur nox, adimit dies,*
» *Et Muſæ faciles. colligit ocio*
» *Quod ſpargunt alii tempus, & invenit,*
» *Quæ vel ſolus agat: Sic taciti dies,*
» *Et conceſſa ſibi tempora diffluunt.*
» *Sic me, Douſa, tuis manibus additum*
» *Fatalis veniens occupet exitus;*
» *Nec vitæ ſaturum, nec timidum mori.*

VII.

IANO DOUSÆ VENERUM ET CUPIDINUM SACERDOTI.

CVm Douſa victus ægro
Langueſceret dolore,
Et membra jam ſupremo
Liqueſcerent ſopore;
Molles repente venti,
Per aërem, leveſque
Vecti feruntur auras,
Ad regiamque blandæ
Se conferunt Diones.
Favoniusque, dulcis
Cupidinum ſatelles,
Et Cypridis viator,
It nuncius; domumque,
Et limen obſeratæ
Foresque pulſat aulæ,
Quas janitor puſillus
Semper tenet Cupido:
Qui territus, Quis, inquit,
Has impulit Deorum?
Mox pandit, agnitumque
Admittit, intimumque
Deducit in cubile.
Illic miſella Cypris,
Patentibus labellis,
Errantibusque ocellis,
Et ſemihiante dulcem

Spirabat ore ſomnum.
Vix excitata, mollem
Deterſerat ſoporem;
Cum nunciantis atra
Percuſſa voce, rurſus,
Vt ante, ſemipreſſum
Defecit in lacertum.
Mox convocat Senatum,
In curiamque parvos
Iubet venire Patres.
Stabat puſilla turba,
Et parvuli Quirites,
Deique puſiones;
Pars ignibus, minutis
Armata pars ſagittis;
Nec dignitate cuncti
Pares, nec ore cuncti.
Hos Spes leves, at illos
Circumvolant Timores:
Hos ſola Cypris, illos
Caſtæ tulere Nymphæ.
At pars novo quotannis
Repullulant ab ovo:
Quot ſiderum ſerenis
Nox fulgurat choreis,
Apesque purpurantem
Circunſtrepunt Hymettum.
Tum ſic profata Cypris,
Quis, ô Dei, quis, inquit,
Hic ocyus jugales

Frænaverit volucres?
Vix dixerat, repente
Auriga parvus, ambas
Sub aureis jugarat
Præſepibus columbas.
His vecta Diva, celſas
Bigis natat per auras,
Et ſpiritum cadentis
Intercipit poëtæ.
Mox rurſus ad beatos
Delabitur Penates.
Hic fabricata centum
E liliis, roſique,
Amaracoque, blandæ
Stat civitas Dionæ.
Quam, turba ſacra, molles
Circumvolant poëtæ.
Hic, ebrius novoque
Semper madens Lyæo
Anacreon, perennes
Exultat in choreas.
Et myrteo bacillo,
Tremenſque, palpitanſque,
Cupidines fugaces,
Et milites procaces,
Parvumque cogit agmen.
At legibus, beatam,
Regitque, judicatque,
Rempublicam Secundus.
Dulcemque tradit artem,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1285

Modumque molliorum
Et jura baſiorum,
Vivitque in ore caſtæ
Et ſpiritu Neæræ.
Hunc Douſa conſpicatus,
Quid, ô, moramur? inquit.
Triſtes abite curæ,
Sordesque pallidorum,
Et lachrymę reorum.
Sic fatus, Hagienſem
Amplectitur poëtam.
Et nunc uterque blandis
Exultat in labellis.

VIII.
EIDEM.

RUſticus Æneas, miſeram cum fugit Eliſam,
Süavibusque baſiis
Humentes Hyadas, nudumque Orionis enſem,
Et triſte prætulit ſalum;
Allapſus tumulo, ſolemnia ſacra parenti,
Ludosque reddidit ſuos,
Curſibus & cæſtu, ductisque ad pectora tonſis,
Et ſpiculis errantibus.
Nos melius tibi, Douſa, nihil crudelius auſi,
Nec Cypridis læſæ rei,
Dulcia ſolvemus certamina: qualia nunquam
Alpheus Eleo Jovi.
Concurrent lepidæ juvenum, me judice, turmæ,
Mixtique virginum chori

Inter odoratas myrtos, & amœna roſarum.
Tenacibuſque brachiis,
Colla per aurea, labraque dulcia, molliaque ora,
Inane baſium trahent.
Tum qui mollius os ſperato admoverit ori;
Amabilis luctæ ſatur,
In gremium dominæ dulci clamore redibit,
Feſta coronatus dape,
Perfuſusque, thymoque, & languidulo narciſſo;
Noſtro ſonandus carmine.
Tum pereat, qui me vel non putat eſſe poëtam,
Aut judicare neſcium.

IX.

EIDEM,

De puro ejus jambo, ex Hipponacteis puris jambis.

IAmbe pure, purior tenellulæ protervis
Roſillulæ papillulis, & Idulæ labellis,
Puellulæque ſimplicis, puellulæ venuſtæ,
Cui per ora primulum leves eunt rubores:
Meroque flore Liberi, trementibuſque guttis,
Quibus beata luminis parens ſerenat arva.
Jambe pure, Douſicæ medulla ſola famæ,
Tuo lepore ſaucius ſtat Heinſius miſellus,
Vaguſque fertur huc & huc, vaguſque fertur illuc:
Velut ſtupore myſtico repente tacta Mænas,
Abit reditque millies, gravi ſubacta thyrſo;
Sibique vulnus intulit, nec impedita ſenſit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1285

X.

EPITAPHIVM.

SIſtas Viator: Douſici Manes rogant,
Tempus exiguum, moramque parvam:
Quem terra novit, Troïcique pallida
Mater Memnonis, integerque Phœbus,
Quique emerentem ſurripit terræ diem.
Non iſti, gemituſque, tibiæque
Inane murmur, ſordidamque næniam
Mendicant cineres, vagumque leſſum,
Fractique raucos æneatoris modos;
Sed plenas tibi lachrymas remittunt.
Cui tota luctum deſtinat tellus ſuum,
Vnius ſcelus eſt ciere voce.

XI.

IN HARMONIAM, QVAM PAVLO ante obitum audire ſibi viſus eſt DOVSA.

PErdita cum terræ contagia, viribus ſolutis,
Turbidaque humani pelagi freta, naufragumque pontum,
Tenderet, exuviis poſitis, meus enatare Douſa:
Ingentemque animam, neque ſordibus, improbisque curis
Turpiter affixam, patriæ dare deſtinaſſet aulæ;
Occurrere Dei: quæque æthera tinnulo rotatu
Sidera percurrunt, celereſque feruntur acta in orbes,
Exhibuere ſimul ſua carmina maximo poëtæ,
Quæ gelidi nubes animi ſolet invidere nobis;
Et civem fecere ſuum. Probat, annuitque Olympus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1285

Hærentemque animam circumſtrepit, evehitque mentem,
Matutæ thalamos ſupra procul, & cubile Lunæ;
Aſſcribitque ſibi: nondum licet exuiſſet atram
Corporis antiqui nebulam tamen, efficitque Divum:
Et prius è terris quam pergeret, ætheris Quiritem.

XII.

In Orationem Cl. V.

PETRI BERTII,

Divis manibus IANI DOVSÆ

SS.

INclyta Lugdunum, tutelaresque Camenæ,
    Quæ vindicatæ turpe conculcant jugum,
Auſpiciis ſervata tuis gens, maxime Douſa,
    Nondum ſubacta voce, perſolvit tibi
Inferias triſtes: nec adhuc famulata tyranno
    Conclamat Umbram ſancta Libertas tuam.
Bertius hoc audet, quicquid debetur ab urbe:
    Tantusque neſcit ore privato loqui.
Vix tamen hoc Douſæ ſatis eſt, quod poſſumus omnes:
    Obſtricta tellus ſoſpitatori ſuo
Plus nequit hoc uno: gratis licet eſſe, nec ultra:
    Reditque totum munus auctori ſuo.
Quas ferimus Muſas, prius hic accepimus illas:
    Quæ dantur aliis, Douſa, redduntur tibi.

ELEGIA
Ex IIII libro nondum edito Elegiarum
DANIELIS HEINSII,
in obitum
IANI DOVSÆ.

HActenus, ut decuit, lepido ſuccumbimus igni,
Et ſequitur ventum noſtra carina ſuum.
Da veniam Cytherea, novum vel quære poëtam,
Cui ſua feſtivus vela miniſtret Amor:
Cui faciles curſus, cuï lenes præbeat auras.
Hoc ſatis eſt nobis dicere, Douſa fuit.
Hæc operis pars ſumma mei eſt, hic carminis ordo:
Non alio poſthac nomine notus ero.
Sed tumulum ſtatuam: tumulumque altaria juxta,
Et viridi circum cæſpite ſurget humus.
Huc veniam, tectumque meum, mea limina figam:
Huc referam ſedes, maxime Douſa, meas.
Hic tibi perſolvam, quę poſtera ſæcula jurent
Vatibus à priſcis ſcripta fuiſſe tibi.
Roſſa comes veniet, pariterque habitabimus illic,
Et cineri dabimus non aliena tuo.
Votaque, cumque ſuis ſolvemus baſia votis:
Inque tuo noſter nomine vivet amor.
Nec mihi nox ſine te, nec te ſine tempora lucis:
Te ſine nil noſtræ gaudia mentis erunt.
Sic peragam, ſic ſemper ero: dum dulcia vitę
Stamina rumpantur deficiantve meę.
Hic pariter tecum tumulo diſſolvar eodem,
Noſtraque ſubrepent oſſibus oſſa tuis.

Atque aliquis canus, cineres dum ſpectat, amator,
Temporibus ſolvet florea ſerta ſuis,
Poculaque affundet leviter rorantis Iacchi:
Et facilem lympha virgine tinget humum.
Gandaque, Nordwicumque, tuos componet honores:
Noſtraque confundet nomina, Douſa, tuis.
Cætera quæ reſtant, tenues deducet in auras,
Et Veneris blandæ mœnia, parvus Amor.
Hic etiam tecum per mollia rura vagabor:
Hic quoque, juncta tuis manibus umbra ferar.
Eſt locus, extremo qua pulcher ab æthere Phœbus,
Æthiopum primo lumine pingit humum,
Fulmine quem tactum Graii cecinere poëtæ;
Seu quia gens ſacra eſt, ſeu quia ſacra colit.
Curia ſtat Veneris, roſeis innixa columnis:
E violis circum lapſa ſuſurrat aqua.
Hic ſedet, & cauſas tenerorum tractat amantum,
Blandaque cognoſcit jurgia, Douſa meus.
Douſa meus cauſas tenerorum tractat amantum,
Sceptraque feſtiva geſtat eburna manu.
Conveniunt molles per dulcia gramina turbæ,
Et ſtrepitu leni tota reſultat humus.
Hic queritur lentum dominæ fallacis amorem,
Blanditias alter non valuiſſe ſuas.
Hic tacitum limen; durasve ad limina voces:
Vulnera priſca refert alter, & alter habet.
Aſſidet, & noxas juvenum, totidemque tabellis
Cuncta puellarum crimina ſervat Amor.
Douſa meus pœnas, vel dulcia præmia ſolvit:
Præmia, vel pœnas, ut meruere, ſuas.

Et modo conſiſtit, levibus modò regna columbis
Circuit: has Veneris munere ſemper habet:
Ex quo ſævus Iber Phœbeam clauſerat urbem,
Douſaque dicturas omnia miſit aves.
Hic ſequar: huc rerum veniam pars magna tuarum:
Et referam laudes, blande poëta, tuas,
Geſtaque cuncta tibi: quoties fruſtraverit ignes,
Et quoties votum luſerit Ida tuum.
Pro foribus duris quoties excluſus abîſti,
Et quoties voces nil potuere tuæ.
Non ego ſum vanus, nec cui male credere poſſis:
Nec mea Muſa tibi cauſa ruboris erit:
Si mihi laus Graiæ non inficianda Camenæ,
Et mea Romanum gloria currit iter.
Juliades, Brenni deductum à ſanguine numen,
Digna ſuo proles Cæſare, teſtis erit.
Vos etiam ſanctæ, toties quas plangimus, Vmbræ,
Officii teſtes poſtulat illa ſui.
Quod ſupereſt, coram peraget, cum fata vocabunt,
Quæ ſpatium vitæ finiet hora meæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1285

Nobiliſsimis Clariſsimisque viris,

STEPHANO,
FRANCISCO, } DOUSIS.
DIDERICO,

Paternæ virtutis hæredibus,

DANIEL HEINSIUS.

QUæ pietas, quę pura fides, quæ triſtibus Umbris
Scribere conantem, debilitavit amor;
Accipe divino ſtirps non indigna parente:
Noſtraque componas triſtia fata tuis.
Omnibus ex æquo dolor eſt, qui fertur in omnes:
Cauſaque, ſi qua venit pluribus, ęqua venit.
Nec magis hic quenquam fas eſt lugere, minusve:
Sanguinis anguſti vincula neſcit honor.
Quis prior hic? nulli pater eſt, qui naſcitur orbi.
Aëra quis, ſolem quis putat eſſe ſuum?
Gręcia cum fixum Paridi ploravit Achillem,
E numero Thetys pars quotacunque fuit?
Hectore ter tracto, Priamo plus turba gemebat:
Maluerat nato quiſque carere ſuo.
Quis ſibi non patrem, quis non deplorat amicum?
Hoc etiam quęvis more parentat anus.
Plus aliquid Douſę perſolvitur: occidit orbi,
Quilibet ex illo funere vulnus habet.
Vos etiam Douſam, ſed ne lugete parentem:
Plus proprio cuivis Douſa parente fuit.

IOSE-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1285

IOSEPHI SCALIGERI
IVL. CÆS. F.
EPICEDIVM
Nobiliſsimi Innocentiſs. & Doctiſs.
IANI DOVSÆ
à Nordwick.

DOuſiades Muſæ (quid enim niſi flebile reſtat?)
Lætitiæ veſtris demite ſigna comis.
Frondentes ederas triſti mutate cupreſſu,
Tundite funeſta pectora nuda manu.
Omnis, quæ Douſæ naſcenti plauſerat olim,
Exequias Douſæ turba frequenter eat.
Lugduni ſedes, & culti ſacra Lycei,
Et varia inſignes urbis ab arte viri,
Aſpirate meis accentibus. omnis acerbi
Vulneris indignas præferat ore notas.
Publicus inceſſat dolor omnibus. occidit ille
Veſter amor, veſtri ſummus honoris apex.
Quæque dies Douſam, mundo quoque lumen ademit
Noctibus innumeris nigrius auſa nefas.

Dira dies, non te nitido produxit Olympo
Vecta pruinoſo Memnonis axe parens;
Sed tibi triſte jubar pallentibus extulit umbris
Tartareo peplo nox adoperta caput,
Ne foret ulla dies, non cui dedit Allia nomen,
Quam deteſtentur publica vota magis.
Quippe quid inter tot ſignantes tempora luces,
Quam diræ titulum noctis habere potes?
Quid tibi cum claro radiis Hyperione cincto?
Redde orbi Douſam. ſol erat ille tuus.
Sed quid vana queror, dum mens evicta dolore
Verba jacit ſurdis diripienda Notis?
Quod fleo, non lacrimis, non eſt revocabile queſtu.
Jacturæ tantæ non capit ira modum.
Flos hominum, quæ te noſtri feralibus ævi
Infenſum vitiis ocior aura rapit?
Nec tibi conceſſi, modico quos limite fines
Temporis humani juſta ſenecta petit.
Sed medius moriens inter juvenemque ſenemque,
Nec juveni propior, poſteriorve ſene,
Non expectata hyemis ſtatione recedis,
Autumno vitæ prætereunte tuæ.
Ah cur non annos totidem tibi ſiſtere poſſum,
Quot morum merito vivere dignus eras?
Ut ſaltem humanis non tam cito rebus ademptus
Hoſpes in Elyſiis vallibus umbra fores?
Sed quia lanificum rigidis vetat ordo ſororum
Legibus, & duro ſtant adamante ſeræ,
Quod poſſum facio; ſingultibus aëra nudum
Atque interruptis ſidera pulſo ſonis:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1285

Ut ſi non aliud, verſo querar ordine rerum
Ante diem vitæ penſa reſecta tuæ,
Atque annos, queſcunque tibi poſt terga relinquit
Non expectato fine peracta dies.
Alloquor & Superos. tepidæ ſua verba ſequuntur
Inque ſuis lacrimæ queſtibus ora rigant.
Nec flemus ſurdis. reſpondent flentibus amnes,
Quos non exiguos terra Batava bibit,
Renus, & in Reni moriturus Moſa lacunis,
Et magni Reni portio magna Vahal.
Ipſe etiam lacrimis nunc auxiliaribus auctus
Infrenes nullo margine finit aquas,
Priſcorumque larum funus gentile profeſſus
Inſolito ripas Douſius amne premit.
Douſius, accepit gens a quo Douſia nomen,
Et gens, & veteris gentis avita domus.
Cuncta favent lacrimis, ſociosque in triſtia noſtra
Contribuunt fletus femina virque ſuos.
Et quibus extiteras vultu vel nomine notus,
Omnibus indignus contrahit ora rigor.
Ille refert culto largas in pectore dotes:
Hunc tangit probitas, & ſine labe fides.
Exactos alius generoſo pumice verſus,
Alter convictus dulcia verba tui.
Quotque tui meriti partes in mente revolvit,
Tot juſti cauſſas ille doloris habet.
Aſt ego convertor facies diverſus in omnes,
Unde meï dubius carminis orſa petam,
Dum quæ virtutum fuerit tibi copia, promo,
Quot fuerint, in te quæ coïere bona.

Hinc me nobilitas, hinc me tua ſumme virorum
Virtus, & probitas, & pia vita rapit.
Nam tibi quæ ſublime genus natura creato,
Hæc eadem mores ingeniumque dedit.
Aſt quæcunque domus fuerit lux magna beatæ,
Ingenii dociles non tamen æquat opes.
Eſt aliquid, fateor, claræ quæ gentis ab ortu
Miſſa per innumeros gloria fulget avos,
Et nitidi generis ſeriem deducere longam
A magnis orta nobilitate viris.
Sed major laus eſt, titulis à mente petitis
Non ſinere ingenium ſtirpis honore premi.
Tu quoque quum poſſes cenſeri laude tuorum,
Auctores generis quos tuus ortus habet,
Ne tua per ſegnem marcerent tempora vitam,
Sacraſti Aoniis otia tuta choris.
Tunc Cirrhæa ſuo patuerunt orgia vati,
Et tibi de viridi lecta corona jugo eſt.
Prima tibi facili ludens Elegia juventa
Dictat in alternos verba coacta pedes:
Et tibi ſubjiciens blandis incendia flammis,
Sæpe Cupidineo ventilat igne faces.
Et quod ames ſemper, ſemper quod ſcribere poſſis
Materiam teneri luſor Amoris habes.
Nec tamen exili carmen deducere filo
Eſt ſatis, & ſenis jungere quinque pedes.
Ne regnum Veneris, puerique Cupidinis arcus
Carmen iners Elegis cauſſaque vana foret,
Hiſtoriæ patriæ monimentis eruta priſcis
Clarorum revocas fortia facta ducum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1285

Idque tibi debet, patriæ quod geſta Batavus
Nunc tenet, in patria qui prius hoſpes erat.
Quid referam lyrico modulata poëmata plectro,
Nec male tentatum nobile carmen epos?
Nil tibi felicis genii natura negavit,
Utilis ad nitidi carminis omne genus.
His tibi tranſmiſſa eſt ævi pars prima quietis
Paſſibus, & ſtrepitum non faciente gradu.
Et licet ingenui ſeceſſus otia quærens
Ventoſæ fugitans ambitionis eras,
Te tamen accitum ſancta in collegia patrum
Quinque bis annumerat Curia ſumma viris.
Nec minus erronem civilia caſtra ſequentem
Aoniæ revocant ad ſua ſigna Deæ:
Et quum prolatis redeunt diludia rebus,
Quicquid ab innumera lite vacare datur,
Ad Phœbi ſecreta, tui non transfuga moris,
Et veteres cultus, & tua ſacra redis.
Et licet officium rigidos abducit in actus,
Te tamen in medio mens Helicone locat.
Nec piget argutis Epigrammata ludere nugis
Inter clamoſi prœlia dura fori.
Denique quum magnum vivus ſis nomen adeptus,
Majus ab exequiis quale nec ullus habet,
Ac te grandis honos volucri ſuper æthera fama,
Et penna fatum non metuente vehat,
Non minor innocui vitio maculaque carentis,
Quam conſummati laus tibi vatis adeſt.
Adde quod ingenuæ mentis non ultima mores
Inter ſinceros præmia candor habet.

Contra, mordaci quemquam diſtringere lingua
 Eſt animi nigro felle madentis opus.
Nulla venenatis ſalibus tibi pagina tincta eſt,
 Nec dedit infames lingua proterva jocos:
Nec, quæ res ævo non eſt incognita noſtro,
 Strinxiſti in celebres impia verba viros.
Jure igitur querimur, te jure dolemus ademptum,
 Omnis & in partem turba doloris adeſt,
Et miſcet gemitus, & verba querentia fundit
 Pro tamen erepto non valitura viro.
Hei mihi, quam celeri verſat Fors omnia lapſu,
 Quam rapido ſubitas alterat orbe vices.
Nam modo quem validum faciles vidiſtis, amici,
 Et cui nec dubius tinxerat ora color,
Hunc inopina brevis rapit inclementia morbi,
 Atque eſt, quod feretro triſte levatur onus.
O feſtina dies, ô rerum lubricus ordo,
 O nimium propero mors celerata gradu.
Me miſerum, quo nos nunquam rediture relinquis,
 Non voto, humana non revocande prece?
Te retinent civem cognati ſidera cœli,
 Et non turbandæ pacis amica quies.
Nos habet in varios rerum diſtricta tumultus
 Inque catenatis vita trahenda malis,
Hic ubi nec requies, nec quæ ſibi quiſque precatur,
 Sollicitæque levant otia mentis onus,
Otia Pieridum ſacris ſeceſſibus apta,
 Otia numinibus ſemper amata tuis.
Pro quibus inſano reboant molimine lites,
 Et clamor ſtreperi natus ad arma fori;

Qui

Qui procul Aonidas hominum de mente fugavit,
Inſtillans lucri blanda venena ſui,
Ingenuiſque animis ignavas objicit artes,
Segne vocans humilis carmina mentis opus.
Hinc ſpinoſa ſuis armata Sophiſtica nugis
Incedens longo ſyrmate verrit humum.
Omnibus hæc ſtudiis, &, qui fecere beatos,
Cultibus excluſis, obtinet una locum.
Ipſæ Pierides turpi ſuffuſa pudore
Pallidulæ ſalſis imbribus ora lavant,
Ac patrocinio defectæ nulla queruntur
Pro deploratis artibus arma capi,
Sed ſtultos homines verborum nectere caſſes,
Aut dulci linguas proſtituiſſe lucro,
Heroaſque ſacros, quos Jupiter æquus amavit,
Cum ſtudiis propera morte perire ſuis.
Te quoque barbaries noſtri ne ſtringeret ævi,
Credibile eſt ipſos conſuluiſſe Deos.
Utque Aſtræa omni terris pietate fugata
Ultima de ſuperum gente reliquit humum,
Sic tibi non vita hæc, non tellus ante relicta eſt,
Juſta relinquendæ quam tibi cauſa fuit.
Tempeſtivus abis, quum nil, quod rebus in iſtis
Laudares, nil non, quod querereris, erat.
Ergo neglectæ linquens contagia terræ
Inter ſidereos ſtella recepta ſinus,
Omnia lunarem late ſubjecta ſub axem
Deſpectas oculis inferiora tuis.
Non eſt mortalis (gemitus abſiſtite) Douſa.
Non eſt mortalis Douſa. faceſſe dolor.

O vos,

O vos, qui vivum Douſam foviſtis amici,
O vos Douſiaci dulcia membra chori:
Exuite atratos geſtamina triſtia cultus.
Iſta minus miſero eſt digna colore domus.
Quum Douſa æterna mutarit funera vita,
Funeſtam Douſæ non decet eſſe domum.

DIEDERICI DOVSÆ F.
ad tumulum paternum
LAMENTATIO.

SIccine Douſa jaces dirarum præda ſororum?
Virtuti merces debita an iſta tuæ eſt?
Siccine debuerant numquam tumulanda parentis
Oſſa mei, cœlo non prohibente, tegi?
Hæc pietas, hoc ſancta fides, puræque meretur
Mentis amor, fato ut ſic properante cadas?
Et nobis, natisque tuis deflenda relinquas
Funera, Pieriis ingeminanda modis?
Ah properata nimis crudelis funera fati:
Staminaque ah luctu non ſatianda meo.
Huic ego tam magno potero ſupereſſe dolori?
Et mihi dilecti buſta videre patris?
In triſteis potius gemitus luctuſque reſolvar
Totus, & è noſtris fons veniet lachrimis:
Sic melius tibi juſta pater chariſſime ſolvam,
Debitaque officiis ſerviet unda piis.
Nam nec vita mihi nec dulcia munera lucis,
Morsque meæ raptrix gaudia mentis habet.
Et mea nigranti damnavit vota ſepulchro,
Spesque ſimul noſtras in cava buſta tulit.
Ecquod tempus erit, quo me quoque fata vocabunt?
Inviſæ nunc me tædia lucis habent.
O mihi ſic liceat facileis modo cernere Divos,
Exemploque patris dent mihi poſſe mori.

Tum mea non triſti ſolvetur vita ſopore,
Et mihi grata nimis tempora mortis erunt.

ALIVD.

CHare pater noſtro numquam cariture dolore,
Et numquam lachrimis exatiande meis,
Æternum ſalvere jubet te natus, & optat
Mente piâ, ut ſemper ſit tibi terra levis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1285

TVMVLVS
IANI DOVSÆ A NOORTWYCK.

Τύμβος Δουσιάδην ὅδε τὸν πολυΐστορα κεύθει,
Εὐθαλὲς εὐγενέων ἔρνος ἀπὸ προγόνων.
Ἀρχαϊκῆς σοφίης μάλα δεξιὸν ἡνιοχῆα,
Δίζυγος εὐεπίης, ἱστορίης τε κλέος.
Πρῶτον Μουσαγέτην τῇ κουροτρόφῳ ἐνὶ Λείδῃ,
Ἧς τιμῆς, πόλεως ἔμμορε σωζομένης.
Τὸν Θέμιδος πάρεδρον ἱερῇ Βατάβων ἐνὶ βουλῇ,
Πιστόν τ' ἀρχείων κοιρανικῶν πρύτανιν.
Ἐκμόρφωμ' ἀρετῆς καὶ αὐτόξεστον ἄγαλμα,
Τὸν καλοκαγαθίης θελξινόου τέμενος.
Οὗ μέγα μὲν ζῶντος κλέος ἔπλετο, τοῦ δὲ θανόντος
Ἄφθιτον ἐκ θείων ἔσται ἀοιδοπόλων.

IDEM LATINE.

MArmore Douſiades tegitur multiſcius iſto,
Illud nobilium fertile germen avûm.
Ille vetuſtatis ſacræ & priſci arbiter ævi,
Eloquii duplicis gloria, & Hiſtoriæ.
Primus, Leida, tui dux Curatorque Lycei,
Quo te ſervata mactus honore fuit.
Summa Aſſeſſorem Themidos quem Curia vidit,
Ille in cujus erant Scrinia ſacra fide.
Virtutis vera effigies, expreſſaque imago,
Et ſacrum Honeſtatis flexanimæ hoſpitium.
Maxima laus vivo hinc; æterna at gloria eundem
Vatibus à ſacris poſt ſua fata manet.

B. VULCANIUS M. P.

IN OBITVM

IANI DOVSÆ.

LIcturus Batavos, & doctæ mœnia Leidæ,
Et pia cum caiâ pignora Douſiades,
A vobis diſcedo, inquit, lætuſque volenſque,
Quodque jubet Dominus, cum ratione fero.
Vixi, & quem dederat curſum natura, peregi,
Adſerüi Muſas, adſerüi patriam.
Illas venter iners, atque ignorantia cæca,
Hanc oppugnavit perfidioſus Iber.
Barbariem ſcriptis, gladio disjecimus hoſtem,
Scilicet hic vires ſenſit & illa meas.
Multa animam debent mihi millia, millia multa
Me quoque, ſi merui, docta per ora ferent.
Cætera, tu qui cuncta potes, dabis, ô bone; per quem
Unum mî cœli porta beata patet.

P. BERTIVS.

IN EVN-

IN EUNDEM.

» OMnia fata trahunt: nihil immortale per ampla
» Telluris errat paſcua:
» Nam quodcunque bibit cœleſtis luminis auras,
» Æthræque puros halitus,
» Rurſus in antiquas moriens vomit ætheris oras,
» Pignusq́ue reddit creditum.
» Nullaq́ue perpetuo, vel vilia, donat avarus
» Æther egenæ conjugi.
» Vixque ubi corporeæ moli pigriſq́ue cavernis
» Cœleſte ſemen miſcuit:
» Continuo jam meſſor adeſt ſuccinctus, & ægre
» Falcem furentem ſuſtinet,
» Quin ſata proſternat tenui lactentia culmo,
» Pubemque læti ſeminis.
» Supremosq́ue apices primum metit arte tyranni
» Quem Roma vidit ultimum.
» Ut citius convexa domus vaſtumq́ue profundum
» Mundi labantis corruat,
» Cum terræ decora alta dedit validasq́ue columnas
» Queis pondus hoc innititur.
Teſtis erit mihi DOUSA meus, ſuprema columna
In qua quievit BELGIUM.
Hic varia de parte gravis fundamina terræ
Lapſu revulſit turbido:
Qua fugientem Urſam fugit Urſa, premitque prementem
Pari rotata turbine.
Ingentemque omnes BATAVI tremuere ruinam,
Totusq́ue MUSARUM chorus.

Ecce procul terras undantem voluere nimbum,
Triſteſque noctis vortices.
At cœlum quà lacte natat ſaltare videres
Incontinenti fulgure.
Cæruleaſque domos tremulis horreſcere flammis,
Tortoſque cœli tramites.
Scilicet immenſum DOVSÆ *vigor igneus æquor*
Pallentis imbuit vagi,
Ut ſeſe liquidis novus intulit incola portis,
Jactans honeſtum verticem.

I. FORESTIVS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1285

ΕἸΣ ΤῸΝ ΑΥ̓ΤΌΝ.

Νηπύτιος θάνατος ΔΟΥΣΗι βιότοιο μεγήρας
Σμικρὸν ἀπηῦρα βίον, δῶκέ δ' ἀεὶ ἀθάνατον.
Ἦ ῥα βίον ζώειν αἰώνιον εἴδετο ΔΟΥΣΗι
Ὅττι καταθνήσκειν πᾶσι βροτοῖς δοκέει.
Ἀπρήκτῳ ἐπὶ πόνῳ ΜΟΙΡΑΙ μέγα καγχαλόωσαν
Ὄφρα μίτον κλωστὴρ ἔσχατον ἐξέχεεν.
Οὐδ' ἴδον ἀμβροσίοιο βεβυσμένον εἵρεος ἄλλον,
Τόν σφιν ἀποκλώθειν ἔπορε ΦΟΙΒΟΣ ἑᾷ.

ΕἸΣ ΤῸΝ ΑΥ̓ΤΌΝ.

Δεύτερον αὖ ΝΑΡΚΙΣΣΟΝ ὀλέθρομος ὤλεσεν ἠχώ,
Ἀλλὰ πολὺ γλυκίων δεύτερος ἦν προτέρου·
Περσεφονέως γὰρ ἔφασκε μαραινόμεναι ἐπὶ ΔΟΥΣΗι,
Εἰ δέμας οὐχ ἑτέρῳ ὤπασεν ὀλλυμένῳ.
Ἀλλὰ φίλην αὐδὴν ἥ οἱ ἔτι λείπεται οἴη.
Μνημοσύνην πορέειν ἤθελεν εἰς ἀΐδος.
Ἣν δ' ἄρα σιγαλέη δύναται στεναχίζεμεν οἶτον,
Σιγαλέη ΗΧΩ ἔσσεται ἐμμενέως.

ΙΩΆΝΝΗΣ Ὁ ΦΟΡΈΣΤΙΟΣ.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1285

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1285

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1285